

Pline et la *Naturalis Historia*: traité technique, œuvre littéraire, essai philosophique?

I. Témoignages sur l'œuvre de Pline

1. *NH, Praefatio*, par. 1

Libros **Naturalis Historiae**, novicium Camenis Quiritium tuorum opus, natos apud me proxima fetura licentiore epistula narrare constitui tibi, iucundissime Imperator; sit enim haec tui praefatio, verissima, dum maximi consenescit in patre.

2. Plin. *Ep. III*, 5.1-6

C. PLINIVS BAEBIO MACRO SVO S.

Pergratum est mihi quod tam diligenter libros auunculi mei lectitas ut habere omnes uelis quaerasque qui sint omnes. Fungar indicis partibus atque etiam quo sint ordine scripti notum tibi faciam ; est enim haec quoque studiosis non iniucunda cognitio. DE IACVLATIONE EQUESTRI unus ; hunc, cum praefectus alae militaret, pari ingenio curaque composuit. DE VITA POMPONI SECVNDI duo ; a quo singulariter amatus hoc memoriae amici quasi debitum munus exsoluit. BELLORUM GERMANIAE uiginti ; quibus omnia quae cum Germanis gessimus bella collegit. Incohauit cum in Germania militaret, somnio monitus : adstitit ei quiescenti Drusi Neronis effigies, qui Germaniae latissime uictor ibi periit, commendabat memoriam suam orabatque ut se ab iniuria obliuionis adsereret. STVDIOSI tres, in sex uolumina propter amplitudinem diuisi, quibus oratorem ab incunabulis instituit et perficit. DVBII SERMONIS octo ; scripsit sub Nerone nouissimis annis, cum omne studiorum genus paulo liberius et erectius periculosum seruitus fecisset. A FINE AVFIDI BASSI triginta unus. NATVRAE HISTORIARVM triginta septem, opus diffusum, eruditum, nec minus uarium quam ipsa natura.

3. Suetonius, *De Historicis* (fr. 80, ed. Reifferscheid, Leipzig, 1860, pp. 92-93)

PLINIVS SECVNDVS Nouocomensis equestribus militiis industrie functus, procurationes quoque splendidissimas et continuas summa integritate administrauit; et tamen liberalibus studiis tantam operam dedit, ut non temere quis plura in ocio scriperit.

itaque bella omnia, quae umquam cum Germanis gesta sunt XX uoluminibus comprehendit; item naturalis historiae XXXVII libros absoluti.

4. Bibliotheca Malatestiana Pluteus XI (1446)

Epigramma ejusdem Plini

Plinius historicus cognomine sumque secundus,
quod totum, quod terra capit, caelumque perambit
strinxi, ter denis lepide septemque libellis,
in quibus et duo sunt viginti milia digna

5. Tacitus, *Annales* I.69.1

Tradit C. Plinius, Germanicorum bellorum scriptor, [...]

6. Hieronymus, *in Isaiam*, XV.54.11

et [nominabo] plinium secundum, eumdem apud latinos oratorem et philosophum, qui in opere pulcherrimo naturalis historiae tricesimum septimum librum, qui et extremus est, lapidum atque gemmarum disputatione compleuit.

7. Hieronymus, *in Hieremiam prophetam*, III.212

aiunt scriptores naturalis historiae, tam bestiarum et uolucrum quam arborum herbarum que, quorum principes sunt apud graecos aristoteles et theophrastus, apud nos plinius secundus, hanc perdicis esse naturam.

8. Verecundus Iuncensis, Commentarii super cantica ecclesiastica, In canticum Ionae cap. VI

Quod si naturalis beluae huius magnitudinem uelis audire, lege physicorum historias peritorum, plinii secundi, solini aliorum que multorum, in nostris autem iohannem constantinopolitanum in libro quem de natura bestiarum scripsit

9. Isidorus Hisp., *Etymologiae*, XII.6.45

Narrat Plinius Secundus: "Ex Indico mare torpedo etiam procul et e longinquo, uel si hasta uirga que adtingatur, quamuis praeualidos lacertos torpescere, quamlibet ad cursum ueloces alligare pedes".

10. Beda Venerabilis, *De temporum ratione* XXX

Denique Plinius secundus, idem orator et philosophus, in libro secundo naturalis historiae

11. Beda Venerabili, *In principium genesis* I.2

Et Plinius secundus narrat indiae regiones auri uenis prae ceteris abundare terris.

12. Rabanus Maurus, *in Genesim* 2.VI col. 514

De hoc bitumine Plinius historicus ita refert [...]

II. La parole à Pline

Pl. *NH, Praefatio* 12-16

Meae quidem temeritati accessit hoc quoque, quod leuioris operae hos tibi dedicaui libellos. Nam nec ingenii sunt capaces, quod alioqui in nobis perquam mediocre erat, neque admittunt excessus aut orationes sermonesue aut casus mirabiles uel euentos uarios, iucunda dictu aut legentibus blanda, sterili materia : **rerum natura, hoc est uita, narratur, et haec sordidissima sui parte, ut plurimarum rerum aut rusticis uocabulis aut externis, immo barbaris etiam cum honoris praefatione ponendis**. Praeterea iter est non trita auctoribus uia nec qua peregrinari animus expetat : nemo apud nos qui idem temptauerit, nemo apud Graecos qui unus omnia ea tractauerit. Magna pars studiorum amoenitates quaerimus ; quae uero tractata ab aliis dicuntur inmensae subtilitatis, obscuris rerum tenebris premuntur. Iam omnia attingenda quae Graeci τῆς ἐγκυκλίου παιδείας uocant, et tamen ignota aut incerta ingenii facta ; alia uero ita multis prodita, ut in fastidium sint adducta. Res ardua uetustis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus uero naturam et naturae sua omnia. Itaque etiam non assecutis uoluisse abunde pulchrum atque magnificentum est. Equidem ita sentio, peculiarem in studiis causam eorum esse, qui difficultatibus uictis utilitatem iuuandi praetulerint gratiae placendi, idque iam et in aliis operibus ipse feci [...]

a. inclusion/exclusion de certains sujets dans l'œuvre

1. *NH* 2.27

In haec diuertisse non fuerit alienum, uulgata propter adsiduam quaestionem de deo.

2. *NH* 3.65

Non alienum uidetur inserere hoc loco exemplum religionis antiquae ob hoc maxime silentium institutae

3. *NH* 3.136

Non alienum uidetur hoc loco subicere inscriptionem a tropaeo Alpium, quae talis est..

4. *NH* 2.85

Inconerta haec et inextricabilia, sed prodenda, quia sunt prodita; in quis tamen una ratio geometricae collectionis numquam fallacis possit non repudiari, si cui libeat altius ista persequi, nec ut mensura (id enim uelle paene dementis otii est), sed ut tantum aestimatio coniectanti constet animo.

5. *NH* 4.93

Non est omittenda multorum opinio, priusquam digrediamur a Ponto [...]

6. *NH* 2.162

Sed quid hoc refert, alio miraculo ex oriente, pendere ipsam ac non cadere nobiscum, ceu spiritus uis, mundo praesertim inclusi, dubia sit, aut possit cadere, natura repugnante et quo cadat negante.

7. *NH* 2.206

Motus enim terrae sileantur et quicquid est, ubi saltem busta urbium exstant, simul ut terrae miracula potius dicamus quam scelera naturae. Et, Hercules, non caelestia enarratu difficiliora fuerint.

8. *NH* 37.1

Vt nihil instituto operi desit, gemmae supersunt et in artum coacta rerum naturae maiestas, multis nulla parte mirabilior.

b. Insistance sur la structure de l'œuvre

9. *NH* 3.46

Nunc ambitum eius urbesque enumerabimus, qua in re praefari necessarium est auctorem nos Diuum Augustum secuturos discriptionemque ab eo factam Italiae totius in regiones XI, sed ordine eo qui litorum tractu fiet; urbium quidem uicinitates oratione utique praepropria seruari non posse, itaque interiore parte digestionem in litteras eiusdem non secuturos, coloniarum mentione signata, quas ille in eo prodidit numero. Nec situs originesque persequi facile est, Ingaunis Liguribus, ut ceteri omittantur, agro tricies dato.

10. *NH* 6.96

Sed priusquam generatim haec persequamur, indicari conuenit quae prodidit Onesicritus classe Alexandri circumuectus in mediterranea Persidis ex India, enarrata proxime a Iuba, deinde eam nauigationem quae his annis comperta seruatur hodie.

11. *NH* 9.157

Quonam modo generent, desiderium et admiratio hominum differri non patitur.

b.2 Renvois à d'autres parties de l'oeuvre

12. *NH* 3.42

Nimirum id, quod in caeli mentione fecimus, hac quoque in parte faciendum est, ut notas quasdam et pauca sidera attingamus. Legentes tantum quae meminerint ad singula toto orbe edissertanda festinari.

13. *NH* 5.31 (autre passage du même livre)

Berenice in Syrtis extimo cornu est, quondam uocata Hesperidum supra dictarum, uagantibus Graeciae fabulis.

14. *NH* 2.199

Non minus mirum ostentum et nostra cognouit aetas anno Neronis principis supremo, sicut in rebus eius exposuimus [...]

15. *NH* 2.232

Amnes retro fluere et nostra uidit aetas Neronis principis supremis, sicut in rebus eius rettulimus.

c. Rapport avec les sources

16. *NH* 4.91

Nec licet dubitare de gente ea: tot auctores produnt frugum primitias solitos Delum mittere Apollini, quem praecipue colunt.

17. *NH* 37.31

Occasio est uanitatis Graecorum detegendae : legentes modo aequo perpetiantur animo, cum hoc quoque intersit uitae scire, non quidquid illi prodidere mirandum

18. *NH* 5.4

Minus profecto mirentur portentosa Graeciae mendacia de his et amni Lixo prodita qui cogitent nostros nuperque paulo minus monstrifica quaedam de iisdem tradidisse.

19. *NH* 9.60

Apud antiquos piscium nobilissimus habitus acipenser, unus omnium squamis ad os uersis contra quam in nando meant, nullo nunc in honore est, quod quidem miror, cum sit rarus inuentu.

20. *NH* 9.16

Nec piscium branchias habentis anhelitum reddere ac per uices recipere existimant quorum haec opinio est, nec multa alia genera etiam branchiis carentia, in qua sententia fuisse Aristotelem uideo et multis persuasisse doctrina insignibus. Nec me protinus huic opinioni eorum accedere haud dissimulo, quoniam [...] Quam ob rem de his opinetur ut cuique libitum erit.

21. *NH* 8.44

Aristoteles diuersa tradit, uir quem in his magna secuturus ex parte praefandum reor. Alexandro Magno rege inflammato cupidine animalium naturas noscendi, delagataque hac commentatione Aristoteli, summo in omni doctrina uiro, aliquot milia hominum in totius Asiae Greciaeque tractu parere <ei> iussa, omnium quos uenatus, aucupia piscatusque alebant quibusque uiuaria, armenta, aluaria, piscinae, auiaria in cura erant, ne quid usquam genitum ignoraretur ab eo. Quos percunctando quinquaginta ferme uolumina illa praeclera de animalibus condidit; quae a me collecta in artum cum iis quae ignorauerat, quaeso ut legentes boni consulant, in uniuersis rerum naturae operibus medioque clarissimi regum omnium desiderio cura nostra breuiter peregrinantes.

d. but du travail

22. *NH* 4.121

Peracto ambitu Europae reddenda consummatio est, ne quid non in expedito sit noscere uolentibus.

23. *NH* 2.43

Non sumus profecto grati erga eos qui labore curaque lucem nobis aperuere in hac luce, miraque humani ingenii peste sanguinem et caedes condere annalibus iuuat, ut scelera hominum noscantur mundi ipsius ignaris.

24. *NH* 37.59

Nunc quod totis uoluminibus his docere conati sumus de discordia rerum concordiaque, quam antipathian Graeci uocauere ac sympathian, non aliter clarius intellegi potest [...]

25. *NH* 37.205

Salue, parens rerum omnium Natura, teque nobis Quiritium solis celebratam esse numeris omnibus tuis faue.

e. Reflexions moralistes

26. *NH* 2.117

Viginti amplius auctores Graeci ueteres prodidere de his obseruationes. Quo magis miror orbe discordi et in regna, hoc est in membra, diuiso, tot uiris curae fuisse tam ardua inuentu, inter bella praesertim et infida ospitia, piratis etiam, omnium mortalium hostibus, transitus famae tenentibus, ut hodie quaedam in suo quisque tractu ex eorum commentariis, qui numquam eo accessere, uerius noscat quam indigenarum scientia, nunc uero pace tam festa, tam gaudente prouentu rerum artiumque principe, omnino nihil addisci noua inquisitione, immo ne ueterum quidem inuenta perdisci.

27. *NH* 7.91-92

Animi uigore praestantissimum arbitror genitum Caesarem dictatorem, nec uirtutem constantiamque nunc commemooro nec sublimitatem omnium capacem quae caelo continentur, sed proprium uigorem celeritatemque quodam igne commemooro. [...] Nam praeter ciuiles uictorias undecies centum et nonaginta duo milia hominum occisa proeliis ab eo non equidem in gloria posuerim, tantam etiam coactam humani generis iniuriam, quod ita esse confessus est ipse bellorum ciuilium stragem non prodendo.

28. *NH* 9.67

Prouocauit – id enim est facilius dixisse quam quis uicerit – Asinius Celer e consularibus hoc pisce prodigos omnes Gaio principe unum mercatus *Romae VIII nummum*. Quae reputatio aufert trauersum animum ad contemplationem eorum, qui in conuestione luxus coquos emi singulos pluris quam equos quiritabant. At nunc coci trium horum pretiis parantur et coquorum pisces, nullusque prope iam mortalis aestimatur pluris quam qui peritissime censem domini mergit.